



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 86. Hujus decreti fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

„riore Missionis Madurensis & Venantio Sæc. XVII.
 „Bouchet Superiore Missionis Carna- A. C. 1705.
 „tensis. „

CAROLUS THOMAS,

*Patriarcha Antiochenus, Visitator
 Apostolicus.*

ANDREAS Candela,

S. Visitationis Apostolicæ Cancellarius.

§. LXXXVI.

Hujus decreti fata.

Hoc decretum Turnonius die octava
 Julii Pondicherii promulgavit, il-
 ludque observandum Jesuitis tradidit.
 Verum hi non modo hoc decretum ægre
 ferebant, sed etiam illud aperte im-
 pugnant, prout ipsemet Turnonius in
 sua epistola ad Banchierium S. Officii
 Assessorem his verbis refert: *Jesuitæ, die 10. Jul.*
qui hucusque de bona mea voluntate con-
tenti videbantur, hodie palam contra meum
decretum insurgunt & postquam articulum
juris impugnarunt, absdubio factum, etsi
minime controversum, directe etiam varia-
bunt. Præprimis vero sanguinem & a-
quam sudabant, ut Turnonium ad mo-
derandas tam censuras, quam rituum
prohibitionem constringerent; cum au-
tem hic salvo sui Ministerii & conscientie Epist. die
debito, ut ipsius verba sonant, plene 9. Jul.
 eorum

Sæc. XVII. eorum votis cedere non posset, ex
A. C. 1705. communicationis tamen pœnam in *su-*
sensionem a Divinis per triennium dun-
 taxat commutavit, vehementer verit-
 tus, *ne hac indulgentia peccaverit, ac Deo*
gravem rationem reddere cogatur. Nihilominus Jesuitæ Patrem Franciscum Lainez Madurensis Missionis Superiorem, ut contra Patriarchæ decretum reclamaret, Romam ablegarunt, qui etiam anno hujus sæculi septimo ibidem perveniens mox librum, cui titulus: *defensio Indicarum Missionum*, quas usque ad interneccionem per hoc decretum vulneratas aiebat, concinnavit. Nec minus gravem Turnonio molestiam creabat Archiepiscopus Goanus, qui Sinensis Missionis tranquillitatem turbari, suamque jurisdictionem, atque existimatum in omnes Indiarum Ecclesias Primatum lædi ratus, die vigesima nona Decembris promulgato edicto, præfati decreti executionem inhibuit, & Turnonium in jus vocare, eique interminato anathemate, omnem jurisdictionis actum inhibere, ac demum censuras in decreti transgressores irrogatas omnino nullas declarare præsumpsit; suam vero agendi rationem vindicaturus, jam ante die vigesima prædicti Mensis hæc ad Papam perscripsit: *His positis, Sanctissime Pater, executionem decreti Domini Patri-*

Sæc. XVII.
A. C. 1705.

Patriarchæ Antiocheni distuli, volens rui-
nas harum Missionum his novitatibus op-
pressarum Sanctitati vestræ patefacere; ne-
sciens etiam hujus Prælati auctoritatem;
noluit enim Bullas publicare: hoc vero
sancta Mater Ecclesia suis delegatis pro-
hibet, quapropter omnibus tam Ecclesiasticis
quam laicis intra hujus Primatus limites
constitutis inhibui, ne eidem Patriarchæ
obtemperarent, aut ejus censuris starent:
nisi prius de suæ Delegationis facultate con-
suet Et c. Priusquam hæ literæ Ro-
mam deferrentur, jamjam Pontifex de
hujus Archiepiscopi oppositione noti-
tiam hauserat, quocirca die trigesima
Octobris anno sequenti has ad eum de-
dit literas: „Rumore, non quidem fa-
„tis adhuc tuto, publico tamen, ad-
„monemur, Fraternitatem tuam quasi
„nesciam, aut incertam personæ, ac
„facultatum ejusdem Venerabilis Fra-
„tris Patriarchæ Antiocheni, ad de-
„lenda, atque irritanda, quæcunque per
„eum in istis partibus acta fuerant,
„progressam fuisse, ansamque per hoc
„contumacibus præbuisse, qua se nec
„Excommunicationis vinculo, nec im-
„pedimento Irregularitatis illigatos esse
„perperam judicarent, aut certe te-
„mere dictarent. Et quamvis nullo
„modo adduci possimus, ut credamus,
„te singulari prudentia, ac pietate præ-
„ditum

Sæc. XVII. „ditum abrogare ea voluisse, quæ per
A. C. 1705 „Vilitatorem Apostolicum, hoc est,
 „authoritate nostra constituta fuerunt,
 „ne tamen hæc ipsa, quæ vulgo in
 „præfens asseruntur, certi exempli vim
 „aliquando obtinere possint, tibi de
 „nunciandum esse ducimus, omnibus
 „que compertum esse volumus, nemini
 „quacunque dignitate præstanti fas esse
 „aut fuisse, decreta, aut acta authori-
 „tate eidem Patriarchæ a Nobis de-
 „mandata, edita irritare, aut irrita
 „declarare. Notum præterea facimus,
 „sententiam Excommunicationis sic,
 „ut præfertur, latam in suo robore
 „permanere, ac permanuram esse, do-
 „nec illi, qui obstricti ea sunt, absolu-
 „tionem ab eodem Patriarcha, sive ab
 „alio specialem a Nobis potestatem ha-
 „bente, assequi mereantur. Confide-
 „mus autem, Te de periculo Anima-
 „rum fore pro tuo munere sollicitum,
 „ac sedulo daturum operam, ut illi,
 „qui certe fidelibus præire debebant
 „in via salutis, a laqueo, quem para-
 „verunt pedibus suis, rite exsol-
 „vantur.,